



120450











GERARDI BERGENSIS MEDICI IVRATI REIP. ANTVERPIENSIS, DE PESTIS PRÆSERVATIONE LIBELLVS.




ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXV.

CVM PRIVILEGIO.

PRIVILEGII SVMMA.

PHILIPPI Regis Catholici priuata lege ſancitum eſt, ne quis Typographus imprimere, neu quis bibliopola diuendere *Gerardi Bergenſis medici de peſtis præſeruatione libellum* audeat ante quadrienniũ abſque Chriſtophori Plantini Typographi conſenſu. Qui ſecus faxit, pœna ex ſanctione legis, quam litterę pleniores ab eius Maieſtate impetratæ cõtinent, mulctabitur. Datũ Bruxellis XXIX. Ianuarij. Anno M. D. LXIIII.

Signat. De Langhe.



AMPLISSIMO ORDINI SENATORIO REIP. ANTVERPIENSIS GERARDVS BERGENSIS. S. D. P.



CVM sępiùs mecum cogitarem crudelē illā, atque immanem pestē, quæ anno sexagesimo tertio supra millesimum & quingentesimū Londinum in Anglia non modò inuaserat, sed ad internecionem

 pæne

pæne deleuerat: in mentem venit opulentiſſ. atque populoſiſ. ciuitatē Antuerpienſem ſimili caſu in ſimile diſcrimen facilè deuenire poſſe; niſi maiore diligentia, quam ibidem factū intelligo, huic tanto malo obuiam iretur: quod cum feliciter ſępe, & non ſine artis medicæ exiſtimatione per priuatas conſultationes in priuatis hominibus à nobis factum ſit, vt omnes eodem bono fruerētur, atque talentum mihi commiſſum apud me ſepultū non maneret, libellum hunc paruum, exactè tamen peſtis præſeruationem continentem, tam in hyeme, quàm æſtate; tam quoque

que

que in hominibus delicatis, at-
que diuitibus, quàm rusticis
atque pauperibus, diuulgare
placuit. Verùm cum tutum es-
se non posse ab ęmulorum ma-
leuolentia viderem, patronus
aliquis assumendus erat, qui à
zoilorũ morsibus defenderet.
quod cum à nemine meliùs fie
ri posse scirem, quàm ab ęquis-
simo magistratu Antuerpiẽsi,
qui me summa beneuolentia
prosequitur, mihiq; non modò
in rebus leuioribus, verùm etiã
grauissimis vt plurimũ cõfidit,
vobis, Senatores amplissimi,
dedicare volui, quàm humanis-
simè petens, vt hunc nostrum
qualemcunque laborem boni

 con-

consulatis, meq; vobis quouis tempore paratissimum habeatis. Valete, & Deus opt. max. vos per multos annos incolumes conseruet.



DE PRÆSERVATIONE PESTIS.

QVI à peste se præseruare cupiũt, primò & ante omnia Domino Deo, in cuius potestate sunt omnia, sese committere debent, & ita viuere, quẽadmodũ velint mori: nã qui ita viuunt, mortẽ non timent. vnde timor, qui multorum morborũ causa est, in iis non operatur, nec corpora eorum disponit, vt pestẽ facilè suscipiant, sed in bona confidentia viuũt, à qua omnes vires ita roborãtur, & spiritus excitantur, vt quibusuis causis externis faciliùs resistant.

SECVNDO diligenter obseruare debent omnia, quæ habentur in sex rebus nõ naturalib⁹: & deinde vt eorũ corpora ab omni abun-

dantia, & corruptela humorũ ſint pura; eorumq́; partes omnes, & viſcera ita corrigantur, vt de nouo humorem corruptum non generẽt. Nouiſſimè verò, vt ſuo tẽpore medicamẽtis quoque vtãtur: quæ occulta proprietate, vel manifeſta venenoſitati peſtis repugnant, quę omnia ex ordine, quàm fieri poterit, luculentiſſimè ſimul, & breuiſſimè declarabo. Hoc tamen priùs monitum eſſe volo, medicamenta iſta deſtinata peſti, quæ alexipharmaca nominãtur, parum vel nihil iuuaminis allatura iis, qui malo regimine vtuntur, & prauis abũdant humoribus: nam vel eorum vis ab iis ſuffocatur, & extinguitur, vel propter obſtructiones antidotus integris viribus peruenire non poteſt, vbi debet operari.

SED hęc in genere dixiſſe ſuffi-

ciat

ciat: ad magis particularia descendamus: atque primò qualiter aër tẽpore pestis rectificari debet, declaremus. Si passim homines peste corripiãtur, atque aër infectus esse certò sciatur, nihil prestantius fuerit, quàm locũ fugere. quod si ob causas necessarias id fieri non possit; nihil cõueniẽtius fuerit, quam magnos struere ignes, partim quidem super terram, partim in summitate domorum cum patellis per fenestras ex circulis pice illitis, qualiter fieri solet in magnis triũphis, quod & Hippocratem fecisse constat, qui huiuscemodi ignibus non tantum aërem vnius ciuitatis expurgauerit, verùm etiam totius regionis. Quemadmodũ enim calor cum humiditate omnis putredinis est autor; ita contrà calor cum siccitate omnem putredinem

De Aër rectificando.

absſumit, & emendat.

SINT autem ignes ex magna congerie lignorum quercinorum, quę tamen in ſummitate verſus cęlum ligna aliquot iuniperi, lauri, vel ſimilium arborũ ſuauem odorem ſpirantium contineat, & vbique locorum inter magnos ignes ſint vaſa picis ardentia. Iſti ignes non ſolùm putredines abſumunt, quæ ſunt in aëre corrupto, verùm impediũt etiã, quò aër minùs corrumpatur. quod omnino faciendũ eſſe ſuadeo antequam aër ſit corruptus; nimirũ quando putredo prope adeſt: Nam multo facilius eſt aërem præſeruare à corruptione, quàm eius putredinem vel corruptionem extirpare.

CVRETVR quoque diligenter vt omnia cadauera brutorum in terra ſepeliantur, & ita cõtegantur,

tur, vt nullus vapor exhalet. Nam ab eo aër putrefit, corrumpitur, atque pestilentem qualitatem acquirit.

OMNES quoque fœtores, siue ex cloacis publicis, siue ex aquis putridis exurgant, diligenter contegendi sunt, vel purgandi, ne aliqua occasio corruptioni aëris præbeatur.

POST hæc prima cura sit, vt domus in qua commorandũ sit, omni fœtore careat, & à sordibus & spurcitie sit aliena: fenestræ eiusdẽ clausæ sint diebus præsertim nebulosis, ne pestilens aër ingrediatur. quòd si tamen aperire placuerit, curandum, vt sint versus septentrionem aut orientem constitutæ: idq́; fiat à sole iam aliquot horas orto. Rarò & non nisi cælo sereno in publicum prodeundũ, neque id etiã,

niſi ſumpto antidoto, quod à contagione præſeruare valeat. In ædibus quotidie ſuccendendus ignis quercinus, iuniperinus, tamaricinus, aut laurinus, aut ſimilis, quo aër in iis vitiatus corrigatur, purgeturque. Viuis quoq; carbonibus ſequens puluis, ſi tépus fuerit frigidũ, crebrò inſpergatur, qui ſic habet. ℞. roſmarini M. ß. ſaluiæ, bethonicæ, abſynthij, maioranæ, origani ana Mj. cõterãtur omnia ſubtiliſſimè, & fiat puluis. Cuius loco ſequẽs à diuitibus ſubſtitui poterit ℞. baccarum iuniperi ℥j. myrrhæ, thuris, maſtichis, ſingulorũ ʒiij. radicis caryophyllatæ ʒj. rutę ℥ß. corticũ cipreſſi ʒ i. ß. radicis angelicę ſatiuæ, lauendulæ ſingulorum ʒij. tritis omnibus fiat puluis.

QVI omnino diuites fuerint, vti poterunt ligno aloës, aut pul-

uere

uere nucis muſcatę, aut caryophyllorum, aut ſimiliũ. Qui vero pauperiores fuerint, quàm vt magnos ſumptus ferant, ligna iuniperina fiſſa, aut eorum baccas carbonibus ignitis imponere poterunt. Si verò tẽpus fuerit calidum, rebus frigidis aer depurabitur, floribus ſcilicet roſarum, violarum, nympheæ, pampinis, foliis ſalicis, & id genus aliis: pauimentum etiam ſtillatitio liquore roſ. aut oxalidis, aut ſimilium irroretur, aut aqua frigida, cui aliquid aceti ſit commixtum.

DVM tempore frigido in publicum prodire neceſſitas coegerit, hanc, aut similẽ pilam odoratã ſecũ circumferant. ℞. ladani ʒiiij. ſtyracis, calamitidis ʒij. cinnamomi, maceris, caryophyllorũ, nucis muſcatę ſingulorum ʒj. ligni aloes ℈j. ſpicæ nardi ℈ß. myrrhæ, maſtiches,

pomum odoratu[m] frigido te[m]pore secu[m] portandu[m]

ches, thuris singulorũ ℥ß. moschi ambaris, singulorum gr̃. iij. trita & cribrata exactè, stillaticio liquore maioranæ sufficiẽti madefiant, & excipiãtur, fingaturq; pila odorata, quod pomum vulgò appellatur. Eius loco non malè in vsu esse poterit id quod sequitur. ℞. florum lauendulæ, maioranæ, mentæ crispæ singulorum p.j. caryophyllorũ, nucis myristicæ, ligni aloes ana ℈ß. incisa crassiorem in modum ligentur in sindone formа pomi, & naribus sępius admoueantur.

In æstate quando tempus est calidum prædictis odoratis vtendum non est, eò quod cerebrũ atque cor nimium excalfacerent, sed eorũ loco odoratis frigidis in hũc modum. ℞. florum rosſ. violarum, nympheæ ana ℥ j. santalorum omnium

nium ana ʒ.ß. camphoræ ℈ j. contusa in puluerem crassiusculum illigentur sindoni quę naribus sępius admoueatur. Pro senibus, aut iis, qui frigidioris sunt cerebri, tempore calido huiusmodi pomũ erit conueniens, quod sic habet. ℞. ladani ℥ß. stiracis, calamitidis ʒ iij. nympheæ, ros. violarum ana ʒj. corticum mali citrij ʒß. santalorum omnium ana ʒj. portulacę ℈ ß. ambaris, moschi ana gra.ij. excipiantur liquore stillaticio rosarum, & fiat pila. Quoniam autem semper hæ compositiones ad manum non habeantur, placuit quædam simplicia enumerare, quæ valeant in tempore calido. ea autem hæc sunt: rosę, acetum, santala, & similia, si sæpius naribus admoueatur. Quæ autem conueniunt tempore frigido, hęc sunt: nux myristica, zeduaria

Pomum pro senib[us]

duaria, caryophylli, cinnamomũ, & ſimilia.

TEMPORE temperato quàm maximè conueniunt mala citria & aurantia, quę ſatis temperata ſunt, eò quòd exteriora tãtum ſunt calida quãtum interiora ſunt frigida, & interim vires mirifice corroborant & ſpiritus recreant. ruta licet cõueniat in omni tẽpore, maxime tamen conuenit in tempore frigido propter caliditatem, quæ in ea exuperat frigiditatem. In hyeme quoque manus, atque facies ſæpi- Facies manibus ab- luenda. us lauentur aqua maioranæ, cui cõmixtum ſit modicũ aceti roſacei & vini odoriferi: in æſtate verò aqua roſarum cum modico aceti roſacei, vel ferãt in manu ſpongiá tinctam in huiuſcemodi liquore ſecundum tempus anni, quæ ſæpe naribus admoueatur. Lautiores, ſiue

ſiue opulentiores, per æſtatẽ, hanc, aut ſimilẽ pilã geſtẽt, quæ conſtet roſ. rubrarum electiſſimarum ℥iij. ligni aloes, corticum citriorum, ſantalorũ citrinorũ, caryophyllorũ ana ℈ij. florum borag. violarũ ana ℈j. gummi, tracachanti aqua roſarum macerati q. ſ. pro forma pila.

Et ſi propter occupationes neceſſarias per plateas foras tranſeundum fuerit, aut ad laborantem accedendum; in ore quoque habeatur, & commanducetur radix zeduariæ, aut angeliæ, aut pimpinellæ, aut ſemina vel cortices citrinorum, aut grana pauca iuniperi aceto roſaceo macerata, aut macis, aut garyophylli, aut nux muſcata macerata in aceto roſaceo, aut ſimilis generis aromata, ut aeris putredo venenata odoro vapore, ac ſapore

Quid faciendum, ad laborantem accedendum

emendetur,ac partes corporis prin
cipes roborentur. Maximè tamen
laudatur radix zeduariæ super om-
nia. Noui enim quendam sacerdo-
tem, atque pastorem, qui per totos
viginti annos visitauerit pestilen-
tes, & habita radice zeduariæ in
ore, nunquam à peste fuit correp-
tus. Et si cum pestilente loqui ne-
cessitas coegerit, id paucissimis ver
bis faciẽdum erit, & non nisi priùs
sumpto antidoto contra pestem:
& ita semper standum erit, vt ven-
tus à loquẽte spiret, versus ægrum.
Si dẽtes fœtere, vel immundos esse
contigerit, diligenter aqua frigida
abluendi erunt, deinde etiam fo-
liis saluiæ cum sale cõfricandi, do-
nec omnis fœtor, & immunditie
fuerit ablata. quanquam non sint
immundi dentes (quod rarum est)
con-

confert tamen mundare ſingulis diebus, vt ne putrefiāt. quod ſi fœtor prouenerit ex malis humoribus exiſtentibus in ſtomacho, ij in hunc modum præparandi erunt, & purgādi. ℞. oximelitis ſimplicis, mellis roſati colati ana ℥j. miſceantur, & ſumantur manè: deinde ſequenti die cum aqua mellis ſumātur ſpecierū hieræ picr. ſimplicis Gale. ʒiß. vel ʒij. ſecundum naturam ægri. quando enim fœtor aliquis eſt in corpore, ſtatim venenoſitas peſtis locū inuenit, in quem impreſſioné faciat, ægrumq́ue inficiat.

DORMIENDVM eſt in cubiculo bene obturato, ac clauſo, ne ſcilicet peſtilens aer ingrediatur: cuius quoque ſubinde aer ſuffitu aliquo manè, & veſperi purifice- De Somni et Vigilia

tur,ac corrigatur, vt priùs dictum est. Vnusquisque autem dormire debet secundum temperamentum suum. qui tardè concoquunt, & manè sentiunt adhuc cruditatem in stomacho, dormiant, vel saltem quiescãt in lecto, donec cibus fuerit concoctus. nam non sufficiẽter dormire inflammat sanguinem, & spiritus; nimis verò dormire corpus grauat: In genere viris horæ septem sufficiunt, & mulieribus octo.

In die post prandiũ non est dormiendum, maximè statim post pastum: nam caput impletur vaporibus. qui tamen consueti sunt dormire, subitò desuescere non debẽt; sed paulatim: indulgendum est enim aliquatenus consuetudini.

De Motu et quiete.

Inter res non naturales motus,

&

& quies quoque habentur: nam ex horum quoque immoderato vſu corpus, aut caleſcit, aut frigeſcit, aut ſiccatur, aut humectatur, aut etiam qualitatum harum coniugationes acquirit: proinde etiã de commodo horum vſu videndum eſt. Cùm enim motu opus habeat corpus, exercitium ſalubre eſt; quies autem morboſa: econtra vbi quiete corpus indiget, quies ſalubris eſt; exercitiũ autem morboſum. Exercitium itaque, quod motus vehemens eſt vſque ad ſpiritus alterationem, tria hæc commoda corporibus inducit, partium ſcilicet inſtrumentalium ex mutuo affrictu duritiem, inſiti à natura caloris augmentum, & ſpiritus motum vehementiorem: ad quæ omnia alia bona particula-

tim consequuntur.

Qui sunt biliosi, multùm laborare non debent: nam ex labore corpus fit calidius atque siccius. Phlegmaticis verò multùm laborare confert: quia corpus, quod minus erat frigidum & humidũ, fit calidius atq; siccius. Sed de singulis scribere opus non esse videtur.

QVANTVM autem ad pestis pręseruationem attinet, mediocriter laborare sufficit. magni enim labores inducunt magnas anhelationes, & multum aeris exterioris attrahere faciunt, quod malum est: non sufficientes verò, cruditates in omnibus corporis partibus congregant, ita vt debitè alimentum suum concoquere non possint.

Si quando contingat, vel propter tempus pluuiosum, vel propter aerem minùs infectum, ambulationem non conuenire, tunc manè frictionibus vtendum est, incipiendo primùm à cruribus, & deinde pergendo ad brachia. A coitu tempore pestis omnino abstinere admodum est conueniens, eò quòd omnes meatus corporis aperiat, ipsumque disponat ad facilè suscipiendum aerem exteriorem venenatum. verùm qui propter legem matrimonij, aut singularem amorem omnino eo carere non possunt, rarissimè, quantum est possibile, exercebũt, atque postea diligenter curabunt, ne sese ilico aeri exteriori exponant; sed expectabunt tam diu, donec iterum corpus redierit ad sese.

E Inani-tione & Repletione. Procurandum quoque eſt ſingulis diebus, vt corpus ſua excrementa deponat. quòd ſi id ſponte non fecerit, procurandum erit pillulis peſtilentialibus Ruffi, vel clyſtere communi, vel ℥ij. paſſularum expurgatarum ſumptis vna hora ante prandium, vel vndecim vel duodecim prunis damaſcenis coctis in aqua mellis, & ſumptis media hora ante paſtum, & poſtea aquam illam, in qua pruna cocta fuerint, ſuperbibēdo. Non minùs quoque conuenienter fieri poterit reliquis omnibus, quæ in libello de podagra & calculo ſatis declarata ſunt.

Quòd ſi aluum nimium fluere contigerit, aut ſanguinem è naribus, aut hæmorrhoidibus, aut ſudorem ex toto corpore, ita vt natura

natura indies debilitetur, tunc restringendum erit iis medicamentis, quæ paſſim à Gal. tradita ſunt.

QVANDOQVIDEM affectus animi maximè corpus alterant, proinde & in his videndum eſt, vt iuſtus modus ſeruetur, vt ne hinc affectum corpus in peſtilenti conſtitutione eo faciliùs impetatur. Sicut enim animi mores ad temperamenta corporis ſequũtur: ita corpus ex animi motibus, ac affectibus viciſſim afficitur, ac alteratur. nec pauca extant huius rei exempla apud Gal. atque alios medicos: quoniam à gaudio, triſtitiâ, atq; mœrore plurimi mortui ſunt. De Affect. animi.

Gaudium itaque nimium fugiendum eſt, eò quod cor nimium relaxando, atque ſpiritus diſſipando mortẽ ſubitò inducere poſſit.

Ira quoque fugiẽda eſt: nam præterquam quod corpus nimium excalfaciat, alia quoque grauiſſima mala producit, quæ ſunt, tremor manuum, pedum, atque omnem membrorum; vnde conuulſio, reſolutio, apoplexia, atque repẽtinæ mortis oppreſſio ſæpe prouenire ſolet. Melanchólia quoque, licet ſubita mortis pericula non inducat, omnino vitanda eſt, eò quòd tandem cor cõſumat, atque ſiccet, ad quæ mortem ſequi ſępiſſimi viſum eſt. quod ſi tamen ob vehementes cauſas nobis ſuperuenerit, ilico ſuauibus atque iucundis cogitationibus, atque confabulationibus feſtiuis excutienda erit. Omnis quoq; timor, prẹcipue tamen peſtis, omnibus modis vitandus erit: nam vires multum debilitat:

litat: vnde peſte corripi facilè contingit. quòd ſi quiſquam propter puſillanimitatem timorem deponere non potuerit, ei omnino ſuaſerim, vt ad locum non infectum ſeſe conferat.

Auaritia quoque nimia vitanda eſt: nam præterquam quòd auarus ſit miſer, atq; pauper, etiam nunquam eſt animo quieto. Vitandæ ſunt quoque cogitationes, atque imaginationes fortes, præſertim de ipſa peſte, ne per eas impreſſio aliqua in corpus fiat.

Curandum eſt autem omnibus modis, vt iucundis cantilenis, ac muſicis inſtrumentis indulgeatur, & fabularum, ac hiſtoriarũ amœnis lectionibus, ac narrationibus. animus à curis, ac cogitationibus abſonis, ac abſurdis abducendus,

quò

quò cõtingat, vt cura, & cogitatio hominibus non afflictio, ſed velut iucunda quædã ſit animi oblectatio, dum in huiuſmodi lætis narrationibus, ac lectionib⁹ velut exſpacians deambulat. atque hęc de animi affectionibus moderandis ſufficiant.

E Cibo et potu.

IN CIBO atque potu ante omnia cauenda eſt voracitas, ac nimia ingluuies, vt ne plures cibi ingerantur: omnis enim multitudo naturæ contraria eſt. Deinde etiam cauendum, ne varij & diſſimiles inter ſe cibi aſſumantur, vna præſertim vice: diſſimilia enim ſeditioné mouent, eò quod alia citiùs, alia verò tardiùs concoquantur. ſi quis tamen ad tales cibos aſſueuerit, ei non ſubitò mutatio facienda eſt, ſed indulgendum eſt aliquate-

nus conſuetudini : ex multo enim tempore conſueta, etiam ſi deteriora fuerunt, inconſuetis minùs moleſtare ſolent. Cibis autem in vniuerſum vtendum facilis concoctionis, & bonum procreantibus ſanguinem, ac putrefactioni minimè obnoxiis, quibus ſemper aliquid aceti fuerit commiſcendum, aut acidus alius quiſpiam ſuccus, nimirum oxalidis, malorũ citriorum, aurantiorum, aut limonum.

Abſtinendum eſt itaque ab omnibus leguminibus, & fructibus, exceptis iis, qui acidum ſuccum habent, de quibus paulò antè dictum eſt. Similiter quoque ab omnibus piſcibus, præcipuè tamen groſſis, viſcoſis, & ſquamma carentibus. Ab omnibus quoque volatilibus in aquis, & paludibus degenti-

gentibus;atque extremitatibus,atque interioribus omnium animalium,qualia ſunt viſcera inteſtina, capita, atque pedes. non minùs quoque abſtinere conuenit à carne bubula,ceruina,hircina, atque leporina antiqua, eò quòd mali ſucci ſint,& propter ſiccitatem difficulter concoquantur. Similiter quoque à carne ouilla, agnina, atque ſuilla tam ſylueſtri, quàm domeſtica, eò quod ob nimiã humiditatem, atque difficilem concoctionem putredini multùm ſunt obnoxiæ.nihilominus qui ſunt robuſti, & citò concoquunt, atque ſunt conſueti veſci huiuſcemodi carne porcina, nihil mali aduenire poteſt. nam quando bene concoquitur bonum ſuccum ingenerat, vt ſatis Gal.declarauit.Sunt aliqui,

qui

qui si comederint carnes facilis concoctionis, statim eas corrumpunt, vt sæpe visum est: quibus suillam carnē, atque similem magis conuenire putamus. Ab omnibus quoque carnibus abstinendū est, quæ, vt teneriores fiant, putrefieri primò permittuntur, antequam crusto incoquantur: nam præterquam quòd semicorrupta sint, atque semiputrida, nunquam rectè in ventriculo concoquūtur. neque quoque his vtēdum statim cùm mactatæ fuerunt; sed tandiu expectandum, donec teneriores redditę fuerint, nullam tamen putredinem contraxerint. profectò omnes carnes coctæ in crusto non sunt salubres naturæ. veruecina caro recens in aqua per se elixa, sine herbis appropriatis tempore pestis

conce-

concedenda non est, eò quod ob excrementitiam humiditatem putredini quoq; sit obnoxia. Verùm si fuerit per tres, vel quatuor dies salita, & tum demum elixa, longè fiet salubrior naturæ humanæ. nam humiditas superflua à sale consumitur. recens quoque elixa cum herbis exiccantibus, non male conuenire putatur.

Herbæ autem cõuenientes sunt thymus, maiorana, hyssopus, petroselinum, rosmarinus, saluia, & similia, quibus quoque borrago, cordis corroborandi gratia, commodè commisceri poterit. optima autem fuerit tépore pestis recens caro veruecina assa cum herbis prędictis, quæ trãsfigi debent per mediam carnem, in diuersis locis, quemadmodum lardo in multorum

rum

rum domibus fieri cōſueuit. Vtendum eſt autem oleribus, æſtate quidem ex bugloſſa, endiuia, oxalide, atque lactuca confectis, quorum tamen maxima pars lactuca eſſe debet: nam vt Gal. ait, omnia olera præter lactucam, quæ boni ſucci eſt, ingenerant ſuccum melancholicum: ea tamen per ſe, tempore peſtis, vti non cōuenit: quòd propter humiditatem putredini ſit obnoxia, quæ adiunctis ſiccis & cor roborantibus corrigi debet & rectificari.

Hyeme vtendum iuſculo carniũ, in quo herbæ calidæ & ſiccæ paulo ſuperiùs deſcriptæ incoctæ fuerunt. carnibus vtendum caponum, perdicum, hœdorum, gallinarum, phaſianorũ, vitulorũ, auium montanarum, leporum, atque

cuniculorum iuuenum, quæ vt plurimùm an magis aſſæ, an elixæ conueniant, ex ratione anni, temporis, ætatis, atque corporum maximè, prout ea affecta ſunt, & temperata, deſumi debet: nam ſi hæc omnia humidiora fuerint, aſſa exigunt; ſin ſicciora, elixa. Nec verò hîc conſuetudo eſt negligenda, quemadmodum paulò antè dictũ eſt. Verùm tempore peſtis aſſæ meliùs conueniunt: quia non ſunt vſqueadeo obnoxię putredini quàm ſunt elixæ. ſed oportet etiam habere magnum reſpectum ad complexionem, conſuetudiné, & reliquorum ſingula, de quibus paulò antè dictum eſt.

Circa panem atque potum, quibus nunquam carere poſſimus in ſingulis paſtis, diligentiſſima cura

eſt

eſt habenda. panis itaque ſit triticeus cum furfuribus ſuis pro ſenibus, atque iis qui obſtructionibus ſunt obnoxij; reliquis autem purgatus, ſemper tamẽ bene fermentatus, atque coctus cum modico ſale. nam quando malè fermentatus eſt, atq; coctus, difficulter concoquitur, atque obſtructiones facilè producit. Potus ſit vinum purum, tenue, & non admodum generoſum, quale eſt vinũ Rheneſe, vel ſubrubrum Gallicum, quod vulgo Anſeroſum nominatur. Qui vino carent, vtãtur ceruiſia tenui, bene defęcata, & nõnihil amara ex lupulis. nam amaritudo inhibet putredinem.

Atque hæc quidem de cibi, & potus ſubſtantia ſufficiant: nunc verò nonnulla de recto exhibitio-

nis vſu, & tempore proferantur, in quibus ſummopere curandum eſt, vt nunquam ad menſam accedatur cruditate exiſtēte in ſtomacho. nam cùm crudum additur ſemicocto, plurima mala prouenire poſſunt: quæ licèt primis temporibus in corporibus fortibus non appareāt; poſtea tamen cùm membra grauata, atque debiliora fuerint, apparere ſolent. nunquā quoque ad menſam accedendum eſt, cùm corpus à labore eſt excalefactum, ſed expectandum eſt, donec rurſum fuerit refrigeratum, atque redierit ad ſeſe: atque tunc comedendum eſt leuiter, cum bono appetitu, non deuorādo, ſed bene maſticando, quantum natura rite concoquere poteſt, & à quo non grauatur, ita vt cum aliquali appetitu

titu

titu adhuc à menſa recedatur. Bibendum eſt tantum, quantum pro extingenda ſiti, atque cibo in ventriculo diluendo ſufficiat; non autem vt natet: nam ita cõcoctiones deteriores fiunt.

Qui putant largiore potatione vini cõcoctionem promoueri, multùm à recta ratione aberrant. Nam vinum plus inhaurire, quàm naturæ ſufficiat, calorem naturalem extinguit, atque ingenerat humores frigidos materiam morborum frigidorũ. Inter prandium & cœnam bibendũ non eſt, ne concoctio inhibeatur. quòd ſi tamen ſitis vrgeat, expectandum eſt ad quatuor horas à cibo ſumpto, vel tamdiu, donec in ventriculo concoctio facta putatur.

Si qui de nocte ſitiant, eò quòd

in præcedenti cœna vſi fuerint vino calidiore, vti poterunt conuenienter aqua hordei, vel ceruiſia tenui: quæ præterquam quòd caliditatem interiorem extinguant, etiam ventriculum, atque inteſtina lauant & purgant. Quòd ſi aliquando per errorem plus ſatis cõediſſe, vel bibiſſe contigerit, tunc per viginti quatuor horas ieiunandum eſt, ſi interim fames vel ſitis non vrgeat, quæ omnino tempore peſtis vitari debent: nam cùm ſpiritus interno alimento deſtituuntur, fit copioſior attractio aëris exterioris corrupti, vnde infectio faciliùs ſubſequi ſolet.

A cibo ſumpto ſtatim magnum exercitium, vel magnus aliquis labor ſubeundus non eſt, eò quòd concoctio, quæ fit per quietẽ, prohibea-

hibeatur: neque quoque ilico dor miendũ eſt, eò quòd cibus in ventriculo corrumpatur, & caput multis vaporibus repleatur. ſed inambulandum eſt leuiter, vt leuiter quoque cibus ad fundum ventriculi deſcendat: vel ludendum eſt inſtrumentis muſicis, vel cum amicis iucundis, non altis, ſed ſubmiſſis vocibus eſt confabulandum: nam ſicut alta vox ante prandium ſtomachũ calefaciendo atq; appetitum excitando concoctionẽ magnopere iuuat, ita poſt prandium cibum rapiendo ex ventriculo ad totum corpus cruditates producit. Imaginationes quoque intentæ ſimiliter, & animi turbationes ſummopere vitari debẽt, eò quòd ſpiritus rapiendo à ventriculo ad caput, atque cor, concoctiones in

ventriculo, atque iecore impediant.

Sed de hiſce ſatis: ad tractationem medicamentorum progrediamur.

De Præſervatione.

QVICVNQVE à peſte ſe præſeruare cupiunt, omnino curare debent, vt corpus habeant mundum ab omni plenitudine, atque humorum cacochymia: alioqui medicamina venenoſitati peſtis deſtinata parum, vel nihil prodeſſe poterunt. Si itaque ſanguis abundare videatur, vena ſecanda erit, non quidem ſemper ad mutationem coloris vſque, qui ſæpe vniformis eſt, ſed quantum præſens corporis cõſtitutio requirat & vires permittant.

Antequam tamen vena ſecetur, crudi humores ſi in vẽtriculo percipiantur, ℥ij. oximellis ſimplicis præparandi erunt, atque deinde altero die purgandi ℥j. caſsię recenter extractæ, vel ℥iiij. ſyrupi ex multiplici infuſione roſarum.

præparatio humorum. purgatio

Multi quidem ſine præparatione crudos iſtos humores ſtatim expurgant: ſed ego cum Gal. ſeptimo methodi medendi, præparare malo, cùm morbus dat inducias, quàm tam crudos & ſtomacho firmiter adhærentes expellere. Tertio deinde die cum venter per ſe deiecerit, vel ſuppoſitorio prouocatus, vena ſecanda erit quemadmodum paulò ante dictũ eſt: quod vt commode fiat, admodum conueniens eſt, vt medicus ſit præſens, & diligẽter pulſum exploret, ex quo fir-

Venæ sectio

miter haberi poteſt, quantum ſan-
guinis detrahere cõueniat, quem-
admodũ Gal. docet in libello De
curandi ratione per ſanguinis miſ
ſionem.

Si ſine copia ſanguinis cacochy-
mia in corpore abundare videa-
tur, ea ſecundùm humores peccan
tes primùm pręparanda erit: dein-
de purganda eo modo, qui in no-
ſtro libello De podagræ & calculi
curatione eſt explicatus; excepto
hoc vno, quòd aſtringentia non
opus ſit commiſcere, quemadmo-
dum ibi omnino eſſe faciendum
diximus.

CVMQVE nunc corpus mun
dum fuerit ab omni ſuperfluitate
humorum, diligenter curandum
erit, vt mundum cõſeruetur: quod
commodiſſimè duabus rationibus
facien-

faciendum erit, quarum vna est; si per interualla certa leuiora medicamenta purgantia, quales sunt pillulæ pestilentiales Ruffi, sumantur, in ęstate quidem cum bolo Armeno, in hyeme verò per se. Sunt nonnulli qui singulis diebus hasce pillulas sumēdas asserunt; sed meo iudicio non rectè. nam metus est ne ventriculus ad extremam siccitatem, & hecticam dispositionem deducatur, quemadmodum Gal. docet. Sufficit itaque singulis duodecim vel quindecim diebus semel sumpsisse, vel toties quoties natura nouis excrementis grauata videbitur.

SECVNDA ratio est, si membra ita constituantur, vt vel nullas vel saltē paucissimas superfluitates producant: quod quomodò fa-

ciendum erit, deinceps ex ordine declarabitur.

Si ſtomachus ex frigiditate fuerit imbecillis, ilico illi ſuccurrendum erit: nam quando prima concoctio, quæ fit in vẽtriculo, eſt vitiata, eam ſecunda, quę fit in hepate, emendare non poteſt. Inungatur itaque extrinſecus antè, & retro hoc vnguento, quod ſequitur.

Inunctio ventriculi. ℞. olei de abſinthio, mentæ, maſticis ana ℥ß. olei macis ʒj. ceræ q. ſ. fiat linimentum, addendo in fine pulueris caryophyllorũ, nucis muſcatę, cinnamomi, coralliorum rubrorũ ana ℈ j. quanquã in cõmuni praxi, non ſit ſtomachum retro inungere: quia tamẽ Gal. libro xiij. methodi medendi, iubet, & ego ſemper fœliciter expertus ſum, omnino faciendum eſſe puto. Intrinſecus

ſecus verò per os ſumantur ſingulis diebus manè, ℥ij. ſacchari aromatici roſati, vel pellicula interior ex ſtomachis gallinarum primo lota in vino, & poſtea exiccata, cum modico conſeruæ anthos, vel ſyrupi de mentha; fiatq́ue horum continuatio, donec ventriculus ad ſuam temperiem redierit.

Si verò ſtomachus fuerit imbecillis ex caliditate, quod raro in noſtra regione cõtingit, illi ſuccurrendum erit medicamẽtis frigidis, & ſtipticis, extrinſecus quidem oleo cydoniorum, roſarum, & ſimilium, intrinſecus verò carne cydoniorum, ſine ſpeciebus, niſi vna cum caliditate ſiccitas fuerit coniuncta, quę ſummopere à medicamentis aſtringentibus augetur.

Si hepar fuerit minùs calidum

ſequenti linimento inungendum erit, quod ſic habet:

℞. cerati ſantalini ℥j. ſucci cichorij ſi inueniatur; ſi nõ, eius loco aquæ cichorij ʒij. pulueris agrimonię ʒß. olei abſinthij ℥ß. cõmixtis omnib⁹ fiat linimentum, quo tepidè omni manè regio iecoris inungatur. per os autem ſumatur electuarium tabulatum trium ſantalorũ, vel diarrhodon abbatis pondere ʒij. ſuperbibendo in fine decoctionis cichorij ℥iiij. atque hæc quoque continuetur, donec iecoris intemperies ſufficienter fuerit ablata.

Si verò hepar fuerit minùs frigidum, inungendũ erit manè calidè linimẽto ſequenti: quod ſic habet.

℞. olei nardini, de abſinthio ana ℥j. ſucci abſinthij Romani ʒij ß. ceræ q. ſ. fiat linimentum addendo

ſpicæ

ſpicæ nardi ℈j. Per os verò ſumẽdũ erit electuarium diacurcuma pondere ʒij. ſuperbibendo hauſtum vnum vini abſinthij Romani, atq; deinde quieſcendo ſuper regionem iecoris aliquandiu, atque hæc quoque continuanda ſunt, donec omnis intemperies ſufficiẽter fuerit ablata.

Si cerebrum fuerit malè temperatum, ad temperiem erit reducendum eo modo, quemadmodum in libello noſtro De podagra ſatis eſt declaratum.

Si ex nimia caliditate cor fuerit imbecillum, confortandum erit, extrinſecus quidẽ ſacculo ex ſindone rubra, & impleto roſis ſiccis bene odoratis: vel epithemate ſequenti, quod ſic habet:

℞. aquæ roſarũ, oxalidis, bora-

ginis ana ℥iij. pul. trium ſantalorũ, diamargariti frigidi añ. ʒj. croci gr. ij. fiat cõmixtis omnibus. fomẽtũ, quod cũ pãno ſcarlato in eo madefacto, & in manu calida calefacto tepidè cordis regioni applicetur; intrinſecus ſumpto electuario tabulato diamargariti frigidi: quibus quoque continuo vtendum erit, donec omnis intemperies fuerit ablata, & cor ad ſuam temperiem redierit.

Ad eandem intentionem perficiendam etiam admodum conueniens fuerit odor roſarum per ſe, vel aquæ roſarum, vel pulueris ſantalorum, ſi modicum vini odoriferi fuerit commixtum, aut muſchi, aut ambræ, aut alteriùs aromatis calidi, quò frigida qualitas prædictorũ prõptiùs ad cor trãsferatur.

ratur. Si verò ex nimia frigiditate cor fuerit imbecillum, corroborandum erit medicamentis ſequentibus, tam intro ſumendis, quàm foris applicandis: quorum nonnulla ſunt ſimplicia, nonnulla verò composita. Simplicia autem intro ſumenda, hæc ſunt: bugloſſus, borago, meliſſophyllum, cortices citrij, & ſemen, moſchus, ambra, & caryophylli; compoſita verò ſunt, diamoſchum dulce, & amarum, diamagaritum calidum, lætificans Gal. & ſimilia: decoctum quoque ex meliſſophyllo, atque boragine, ſi per interualla manè ieiuno ſtomacho ſumatur, mirifice cordi frigido conducere certum eſt.

Extrinſecus autē medio thoraci ſuper regionem cordis applicanda ſunt, quæ ſequuntur.

℞.aquæ meliſſophylli lib.j.florũ bugloſſæ vtriuſque, ſpecierũ aromatici roſati ana.ʒij. cinnamomi, caryophyllorũ, nucis myriſticæ aũ ʒj.croci ℈ ß. cõmiſtis omnibus fiat epithema, ex quo cum panno ſcarlato, manè & veſperi ante paſtum calidè regio cordis fomẽtetur: quo facto ilico ſequens ſacculus applicetur, qui ſic habet.

℞.florum meliſſophylli, bugloſſæ vtriuſq; ana m. i.ß. cinnamomi ſelecti, caryophyllorum, maceris ana ʒj. ligni aloës ℈j.ß. corticum mali citrij ℥i.ß.croci ℈j.ambrę gr.j. contuſis omnibus, & bene commixtis interſuantur intra duo ſerica ſecundùm artem, fiatque ſacculus cordi, vt prædictum eſt, applicandus. Non inconuenienter quoque ex iiſdem pulueribus, & ladano

cum

cum cera fieri poterit pomũ odoratum ſæpe naribus admouẽdum. nam boni odores citò ad cor penetrant, idq́ue vehementer recreant, quemadmodum experientia teſtatur in iis, qui ſyncope laborant.

Sunt nonnulli ſemel, qui per interualla tremore cordis laborare ſe putant: quod profectò nihil aliud eſſe videtur, quàm fumi ex ſtomacho, vel ſplene ad cor aſcendẽtes: nam qui reuera palpitatione, vel ex tremore cordis laborant, non vltra quinquageſimum annum viuunt, vt Gal. in libro de locis affectis planè ſcripſit. De curatione huiuſcemodi morbi cauſa breuitatis omiſimus. nam in iſto libello nihil aliud ſcribere ſtatui, quam quòd ſit omnino neceſſarium pro

præſeruatione peſtis.

His ita declaratis, ſupereſt vt medicamenta venenoſitati peſtis deſtinata, recto ordine explicētur: inter quæ primo loco ſeſe nobis offert lapis precioſus hyacynthus mirabiliter occulta proprietate peſti reſiſtens, qui continuò ita ab omnibus, qui à peſte ſe præſeruare cupiunt, ferendus eſt, vt extrinſecus cordis regionem attingat. deinde ſingulis quoque diebus ante egreſſum domus quantitas piſi ſumenda venit huius opiati mirificè in præſeruatione peſtis valentis, quod ſic habet.

℞. boli Armeni veri ℥ij. cinnamomi ℥j. radicis tormentillæ, diptamni, ſantali rubri, zeduariæ ana ʒij. ramenti eboris ʒj. ß. ſpodij, ſeminis antheræ ana ℈ij. corticis citrij,

trij, margaritarũ ana ʒj. ſmaragdi rubini ana ℈ j.charabe, cornu cerui uſti ana ʒj.ambræ gr. iij. auri & argenti minutiſſimę limaturæ ana ℈j. moſchi gr. iij. conſeruæ roſarũ, violarum, bugloſſæ, boraginis ana q.ſ.fiat conditum in forma opiati, de quo prædicta quantitas ſingulis diebus, manè ieiuno ſtomacho, vt prædictum eſt, ſumatur.

SI TEMPVS fuerit frigidum eius loco mythridatiũ antiquum, vel theriaca vetus eadem quantitate ſubinde ſubſtitui poterit. Horum quoque loco puluis ſequens quantitate ℈j.rectè exhiberi poterit.

℞. radicis tormentillæ diptamni, bethonicæ, coriãdri præparati ana ℥ ß.boli Armeni veri ℥ij.cinnamomi ℥j. terrę ſigillatę, corrallij

rubri, been vtriusq;, santali rubri, corticum citri ana ℥ij. succini, limaturæ eboris, croci, maceris, ana ℥j. seminis oxalidis, intybi, portulacæ ana ℈ij. serici crudi, & tosti, ana ℥ß. margaritarum, ligni aloës, ossis de corde cerui, rasurę vnicornu añ ℈j. ambræ gr. vj. moschi gra. iij. aut æstate horum loco camphuræ gra. iij. fiat puluis, qui ad quantitatem prædictam cum vino Rhenensi in hyeme; cum aqua autem rosarum, vel oxalidis in æstate singulis diebus exhibeatur: vel fiat electuariũ in tabulis pro delicatis, in hyeme quidé cum vino albo, & saccharo; in æstate verò cum aqua oxalidis, vel rosarum. Sequens quoque puluis vtiliter eadem quantitate, & eodem modo exhiberi poterit.

℞. zeduariæ, cinnamomi electi

ana

añ ℥ij.boli Armeni veri ℨj. ſeminis oxalidis,citri, corticum citri añ ℥j. raſuræ eboris, oſſis de corde cerui, coralli rubri ana ℥ß. fragmẽtorum ſmaragdi,granati, rubini, hiacynthi ana ℈j.fiat puluis.

Trociſci quoque ſequentes rectè horum loco concedi poterunt.

℞.radicis gentianæ, zeduariæ, diptamni, tormentillæ, pimpinellæ,ſcabioſæ ana ℥j.ß. ſpecierum electuarij de gemmis, diamargariti vtriuſque, diamoſci dulcis ana ℥j. ſeminis rutę, oxalidis, citri añ. ℈ij. myrrhæ ℥ij.terræ ſigillatæ ana ℥iij. corticis citri ℥ij. galliæ moſcatæ, aliptę moſcatę ana ℨß. vnicornu electi ℥ij.theriacæ optimę, & antiquę ℥.v.mithridatij optimi, & antiqui ℨj.ſacchari q.ſ.ad hęc edulcoranda: quæ omnia ſimul incorpo-

tentur muccilagine tragacanthæ q.ſ.fiantque paſtilli inſtar pillularum ſub lingua,& inuoluatur ſperum ſub lingua, & inuoluãtur ſpeciebus liberantis, quorũ vnus ſingulis diebus in ore contineatur,& eliquatus deglutiatur, æſtate quidem cum tribus granis camphorę; hyeme verò cum tribus granis ambrę. non inconueniens quoq; fuerit tempore ęſtatis vti ſaccharo, vel puluere diamargariti frigidi; tempore verò hyemis ſaccharo, vel puluere diamargariti calidi; tempore autem autumni, atque veris vtriſque mixtis, non ſolum ſecundùm tempus anni, verùm etiã ſecũdùm ętatem, atque complexionem hominum, atque regionum.

Sed hę compoſitiones quia ex pluribus aromatis conſtant, iiſque admodum precioſis, non à quouis

emi poſſunt: idcirca nonnulla hic adiiciam, quæ non magni precij ſunt, & tamen vtiliter contra venenoſitatem peſtis ſumũtur. ea autem hæc ſunt:

Succus ſcabioſæ quantitate ℥j. ſingulis diebus, vtiliter contra peſtem ſumitur. habet enim vim non tantum præſeruandi à peſte, ſed etiam, ſi quem inuaſerit, expellendi. Syrupus quoque granatorũ, vel de limonibus, vel de acetoſitate citri ſi quantitate ℥ ß. vel ℥j. in æſtate ſingulis diebus ſumatur, mirificè à peſte prę́ſeruare poteſt. Idem quoque poteſt morſellus rotundus vnus, vel alter aurantiorum, vel limonũ ſingulis diebus ſumptus cũ ſaccharo, vel ℥ ß. cõſeruæ roſarum.

Sæpe & allia cum pane, & butyro vtiliter quoque ſingulis diebus

manè eduntur contra peſtem, prę-ſertim iis, qui aſſueti ſunt (maximè in hyeme) vt ſunt ruſtici atq; nautę. ita vt non temere à Gal. dictum ſit, allium eſſe theriacam ruſticorum. horum loco ſequens quoque compoſitio à Gal. 2. de almentorũ facultatibus tradita vtiliter ſubſtitui poterit, quæ ſic habet.

℞. ficuum, rutæ, nucum iuglandiũ añ quantum placuerit, piſtentur, & diligenter inter ſe commiſceantur, de quibus ſingulis diebus manè ſumatur, modicum hyeme quidem per ſe; æſtate vero cum conſerua roſ. vel quotidie ſumatur manè quarta pars nucis muſcatę acu vndique perforatę, & maceratę in aceto vini per vnam noctem: bolus quoque Armenus verus vtiliter ſingulis hebdomadis

bis

bis ſumitur ad quantitatem fabæ cum aqua ſcabioſæ,& roſ. & vino albo,æſtate quidem æquis portionibus commixtis; in hyeme verò vino, atque aqua ſcabioſæ portionem aquæ roſarum ſuperantibus. reſiſtit enim non tantùm venenoſitati peſtis, ſed etiam venas circa cor conſtringit, vt venenoſitas peſtis ad id tranſire non poſſit. Sed de hiſce ſatis pro peſtis præſeruatione.

FINIS.

AD LECTOREM.

En tibi, qui nuper ſenibus commercia leti,
Podagra abacta & calculo,
Diſtulit;hic omneis nunc triſti à tabe reſeruat.
Quis non colat eum, & diligat?

Nihil habet hic liber S.Romanæ Ecclesiæ fidei contrarium, aut Reip. offensiuũ, quod testor Sebastianus Baer Colleg. Eccl. S. Mariæ Hantuerp. Plebanus.

EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS ANTVERPIAE. ANNO M.D.LXV.XII. MARTII.

